



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

5. Labores Herculis morali sensu.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

gestare solitus, involutos asportavit. Ex Philostrato. Nota, quàm temerarium sit eos insectari, qui viribus aut sapientia prævalent; pygmæi in uno pollice metiendo laborabant, & totum tamen Herculem invadebant. Adde lemma: *volunt non valent.*

V. (i) Quia verò supervacaneum sit, singulis Alcidis gestis pressius inharere, perstringemus pleraque. Rapaces stymphalidis lacus aves superata, docent avaritiam vincendam virò forti & sapienti. *Amazonum* reginæ ablatu balthæus, indicat, femineos artus, illecebrâsque subigendas. *Taurus* Cretæ domitus, denotat iracundiæ impetum frangendum. *Centauri debellati*, vinositatem fugiendam: *Cacus* flammivomus, fraudulentam malitiam esse cavendam. *Augia stabulum* perpurgatum, urbem aut provinciam sceleratis hominibus liberatam: aut animum à flagitiis mundatum. *Dracone* superato, poma aurea ex Hesperidum hortis sublata, præmia virtutum, oppressis vitiis. *Cerberus* triceps, tria inprimis vitia designat, *superbia, avaritia, libidinis*, per quæ homines ad inferos devolvuntur. Hæc, Cerberò eductò ab Hercule, aut, ut à forti probòque viro devicta, aut, ut à sapiente hominibus manifestata, indicantur. Hercules *calum* humeris sustentans significat virum, pro virtute, religione, salute communi ardua quæque in se suscipientem. *Columina* in mari Gaditano, tanquam in expeditionum Herculearum termino ex ære exstructa & erecta, cum inscriptione: *Non plus ultra*, ostendunt, metam laborum & laudum Herculis, à nullo alio attingi posse: attigit, & superavit Carolus V. gloriosissimæ memoriæ Imp. qui imperium suum per ingentia terrarum, mariùmque spatia usque in Indiam Orientalem & Occidentalem extendit, unde illius verba: *Plus ultra*. Cæterùm per columnas constantia & fortitudo denotatur, quæ necessaria est ad virtutem & laudem comparandam; quæque durat & persistit inter assilientes fluctus; *quam stantem injurioso pede non prouat Fortuna*. Horat. Od. 35. lib. 1. Quod verò Hercules, *Omphales* amore dementatus pensum inter feminas traxerit, significat viros etiam fortissimos & sapientissimos per mulieres emolliiri & emasculari.

VI. (k) Hic idem Hercules (exclamat Mythologus) post tot superata pericula, post tot latrones de medio sublato, post purgatum horrendis monstris orbem terrarum, *Omphale* captus amore, multa turpia, & primis rebus gestis indigna commisit. Cur hæc litterarum monumentis tradita sunt? aut cur ad posteros transmissa? ut nos commonefacerent antiqui sapientes, virò bono semper esse vigilandum: quia si parumper oculos à virtute deflexerit atque conniveat, ab appetitia tanquam à rapidissimo

(i) Laborum Herculis explicatio brevis. (k) Libidinis ser vitium.